



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **CORENSIS*** INTRA VENETIOLAE FINES
CONDITUR NOVA PROVINCIA

ECCLESIASTICA, CORENSIS SCILICET, QUAE AD

DIGNITATEM ECCLESIAE METROPOLITANAE ATTOLLITUR Usque omnium Ecclesiarum spiritalem prosperitatem persequentes, cuncta subsidia disponere contendimus quo id facilius efficaciusque obtineatur. Quapropter postulatis occurrentes Conferentiae Episcoporum in Venetiola, de plerorumque consensu, favente Venerabili Fratrem Leonardo Sandri, Archiepiscopo titulo Aemoniensi seu Civitatis Novae et in Venetiola Apostolico Nuntio, ex concilio Congregationis pro Episcopis, Apostolica Nostra potestate suffulti, haec quae sequuntur decernimus et statuimus. Novam Provinciam Ecclesiasticam condimus *Corensem* appellandam et eam archiepiscopalis metropolitanae sedis fruente dignitate, iuribus privilegiisque, quae complectetur Ecclesiam eiusdem nominis et dioecesim Punctifixensem, hactenus ad Provinciam ecclesiasticam Maracaibensem pertinentem. Antistitem pro tempore statu et gradu Metropolitanae honestamus secundum sacrorum canonum praescripta. Ideo Corensem in praesentia Episcopum, scilicet Venerabilem Fratrem Robertum Lückert León, ad dignitatem archiepiscopalem et Metropolitanae condicionem promovemus, omnibus videlicet tributis iuribus privilegiisque consentaneis. Haec omnia ad expedienda Venerabilem Fratrem Leonardum Sandri, quem supra memoravimus, legamus, facta videlicet facultate quempiam alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum subdelegandi. Re demum ad exitum perducta, documenta conficiantur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Episcopis mittantur, contrariis rebus minime quibuslibet obsistentibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die tertio et vicesimo mensis Novembris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo ottavo, Pontificatus Nostri vicesimo primo.*

ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

IOSEPHUS card. TOMKO
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Carmelus Nicolosi, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. XCI (1999), n. 2, pp. 148-149 © Copyright 1998 - Libreria Editrice Vaticana
